







1  
7  
48  
79  
50  
57.  
52  
573

1773.

47. Schott, Augustus Fridericus: De testamenti factione  
Lombardica.
48. Schott, Augustus Fridericus: De coeco idoneo in testa-  
menti factione teste.
49. Schott, Augustus Fridericus: An absentia debitoris  
principalis sub aliena jurisdictione commorantis  
sit hodie justa causa, fidejussorem ordinis  
beneficio privandi?
50. Segerus, Johannes Theophilus: De jure conferendi  
dignitates in imperio Romano - Germanico.
51. Segerus, Johannes Theophilus: Disputatio juris Romani  
et Germanici de apibus.
52. et 53. Segerus, J. Theophilus: Historia jurisdictionis  
ecclesiasticae ex legibus utriusque codicis illu-  
strata. 2 Bände. 1773 u. 1780.
53. Segerus, Johannes Theophilus: Specimen observatio-  
num et eruendas origines juris publici Germanici.

1773.

54. Teller, Romanus, Ord. Tet. procancelarius :  
Programma, quo solennia Doctoralia Christiani  
fridi Heyne indicit
55. Teller, Romanus, fac. jur. procancelarius :  
Programma, quo solennem paucyria Christiani  
lobii Richteri indicit
56. Tellerus, Romanus : De exceptione non numer  
lae pecuniae.
57. Thomenius, Franzott, fac. jur. procancelarius :  
De mercatorum privilegiis. Programma, quo  
solennia inauguralia . . . Philippi Henrici La  
hopii . . . indicit.
58. Wille, David Gaspard Regidius : Observationes  
juris ecclesiastici.
59. Wille, David Gaspard Regidius : Observationes  
juris ecclesiastici.
60. Wille, Christophorus Fridericus : Verationaris imper  
Romani.

1773.

1. Zoller, Fridricus Gotthel, fac. jur. pro cancellario:  
Quaedam observationes singulares. Programm, geo-  
solenne inaugurale Fridrici Henrici Maximilianus  
Hersten indit.
2. Zollerus, Frid. Gotthel: De testamentis conjugum  
reciproco.
3. Zollerus, Frid. Gotthel: Observationum juridicarum  
specimen academicum.
4. Zollerus, Frid. Gotthel: De eo, quod iustum est, et ea  
praestationem culpae.
5. Zollerus, Frid. Gotthel: Dissertatio jur. inaug.:  
ad legem univ. Cod: quando Imperator inter populos.
6. Zollerus, Frid. Gotthel: Observationes singulares.
7. Zollerus, Frid. Gotthel: Observationes singulares.
8. Zollerus, Frid. Gotthel: De quibusdam diversis iuribus  
ratione successionis in res geratiles.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





23  
Pri. Num. 28.

1773, 49

AN ABSENTIA DEBITORIS  
PRINCIPALIS SVB ALIENA  
IVRISDICTIONE COMMORANTIS,  
SIT HODIE IVSTA CAVSSA FIDEIVSSOREM  
ORDINIS BENEFICIO PRIVANDI?

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE

D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT

ANTIQVIT. IVR. PROF. PVBL. ET COLLEG.  
MINOR. PRINC. SODALI

P 211

DIE XXX IVNII CIOIOCCCLXXIII

H. L. Q. C.

ANQVIRET  
AVCTOR

IOANNES CHRISTOPHORVS GVILIELMVS  
TONKO

DRESD.


LIPSIÆ

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



AN ASSOCIATION OF  
BRITISH AND FOREIGN  
LITERARY SOCIETIES  
FOR THE PROMOTION OF  
LITERATURE AND ARTS  
IN THE EAST INDIES  
AND IN THE  
NORTH WEST PROVINCES  
OF INDIA  
AND IN THE  
MADRAS PROVINCE  
AND IN THE  
BENGAL PROVINCE  
AND IN THE  
PUNJAB PROVINCE  
AND IN THE  
SINDH PROVINCE  
AND IN THE  
BALUCHISTAN PROVINCE  
AND IN THE  
AFGHANISTAN PROVINCE  
AND IN THE  
PERSIA PROVINCE  
AND IN THE  
TURKEY PROVINCE  
AND IN THE  
GREECE PROVINCE  
AND IN THE  
ITALY PROVINCE  
AND IN THE  
FRANCE PROVINCE  
AND IN THE  
ENGLAND PROVINCE

110  
110



VIRO  
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO  
A T Q V E  
IVRISCONSULTISSIMO  
D. IOANNI GEORGIO  
SPILLNERO

SERENISSIMI SAXONIAE ELECTORIS IN  
SVPREMO SENATV ECCLESIASTICO  
CONSILIARIO ET COLLEGII POLITIAE  
ADSESSORI GRAVISSIMO

PATRONO SVMMOPERE COLENDO



LIBELLVM HVNCCE  
ACADEMICVM  
IN  
PIETATIS ET OBSERVANTIAE  
SIGNVM  
OFFERT -

IOANNES CHRISTOPHORVS GVILIELMVS  
TONKO.



onstat quidem inter omnes et per *Nov. IV. Cap. 1.* satis expeditum est, non posse fideiussorem, principali reo absente conuentum, excussionis beneficio sese tueri. At, cum dubia sit absentiae notio, variamque pro re nata definitionem recipiat; quaestio suboritur: qualis hic intercessoris beneficium debitorem in alius iudicis territorio, quamuis eidem principi parenti, abesse sufficiat? Fuit haec quaestio a iuris interpretibus in contrarias partes decisa. Quare, cum nobis libellum conscribendi necessitas imposita esset, illam enucleandi periculum facere constitimus, ita quidem, vt demonstramus, non sufficere, debitorem principalem sub alius iudicis iurisdictione commorari, sed potius in alieni principis terras eum abiisse oportere.

A 3

quam



quum fideiussorem statim, nondum excusso ipso reo, creditor adgredi velit. Haud quidem ignoramus, hoc argumentum secundum nostram mentem iam a CANZIO<sup>a)</sup> V. C. nuper esse tractatum, ut illud denuo exposituri inane operam subire videamur. Sed, licet Vir Doctiss. quae ad Nouellae IV. cap. I. rationem inuestigandam suamque sententiam inde confirmandam pertinent, omnia scire atque eleganter exposuerit: argumenta tamen, quibus contraria opinio fulcitur, prorsus omisit, quae, cum ampliorem, quam ipsius instituti ratio ferebat, confutationem desiderant, sat largam differendi materiam nobis superesse, nemo est, quin videat. Pertractabimus vero propositum argumentum hoc ordine, ut, natura atque indole causarum, ob quas fideiussori ordinis beneficium negandum sit, ex ipsa illius introducti ratione eruta, an sola debitoris sub alia iurisdictione commoratio in illarum numero recte censeatur? dispiciamus, dein autem argumenta, quae sententiam nostram labefactare videntur, ea, qua par est, modestia discutiamus atque, si fieri potest, frangamus.

### §. I.

Digestorum atque Codicis iure ob correalem obligationem, qua debitor et fideiussor tenebantur, ipsius creditoris optio erat, utrum eorum post debitoris moram principem conuenire mallet<sup>b)</sup>. Haec, licet ei, quem ius Romanum probat, stipulationis rigori optime conuenient; fieri tamen non poterat, quin creditores morosi atque difficiles, ipsarum legum auctoritate tuti, saepenumero fideiussores

a) CANZII *diff. inaug. sistens quaestiones quasdam de beneficio ordinis.* Tubing. 1770. hab. §. XVII.

b) *L. 3. §. 19. 21. C. de fideiuss.*

fores inani adficerent molestia, ipsamque adeo rempublicam magna litium copia praeter rem onerarent. Quam ob rem, cum his abusibus tollendis nec lex <sup>c</sup>), iam priscis temporibus eam in rem lata, suffecisset, quippe usu aut plane non adprobata, aut saltem maxima ex parte versa in defuetudinem; IUSTINIANVS <sup>d</sup>) denique, eligendi potestate creditori adempta, ordinis, quod vocant, beneficium, fideiussori ita concessit, ut hic exceptione tutus esset, donec principalis debitor plane excussus fuerit.

§. II.

Huius Iustinianae constitutionis ratio in ipsa naturali aequitate posita est. Fideiussor enim, prout fideiussionis natura docet, non eo animo alterius obligationi accedit, ut, in huius quasi locum succedens, se ipsum principalem debitorem pure constituat, sed ideo tantum, ut sua intercessione creditoris securitati omni meliori modo prospiciatur. Ratio itaque postulat, ut creditor ante omnia experiatur, ane ab ipso fortassis, qui accepit, reo principali creditum recipere possit? atque, donec hic obligationi adimplendae minus idoneus repertus fuerit, a fideiussore conueniendi absteat. Nam, si ipse debitor, ad quem omnis ex contractu utilitas peruenit, creditori satisfacere potest, cur fideiussori molestia exhibeatur, cuius interest, pecuniam retinere potius, quam solutam stipulatori, noua lite a reo re-

pete-

c) Meminit huius legis Iustinianus in *pr. Nov. IV.* pluraque eius vestigia in XII. tabulis et apud Ciceronem deprehendisse sibi videntur viri docti, quo vero auctore, quo tempore lata sit, prorsus ignoratur. V. CUIACIUS ad *Nov. IV.* RITTERSHVSIUS in *Exposit. Nouell. P II. c. 2.* Reinhold. SOMMER in *Diss. de fideiuss. beneficio excuss. non gaudentibus*, Cap. I. §. 3.

d) in *Nov. IV. cap. 1.* vnde excerpta est *Auth. Praesente C. de fideiuss.*



petere? <sup>e)</sup> Praesertim cum hoc ipsum publico commodo efficiat. Nam aucta sic litium multitudine, concordiae vinculum, quo vno reipublicae salus continetur, temere dissolvitur <sup>f)</sup>).

### §. III.

Ex quibus omnibus tamen luculenter apparet, excussionis beneficium ab aequitate, iure civili agnita quoque atque adprobata, summopere commendari; nec tamen, dum intercessorum commodis prospicimus, ex altera parte, quae omnis fideiussionis finis est, creditoris securitas est negligenda. Causae itaque sint, necesse est, ob quas fideiussor, rei principalis excussione omissa, statim, ut iure veteri, primo loco recte conueniatur. Quare etiam IUSTINIANVS antiquam illam fideiussorum correalem obligationem non plane sustulit, sed tantum restrinxit, adeo, ut si debitor vel non habeat, vnde soluat, vel non possit facile conueniri, fideiussor ad ordinis beneficium prouocare nequeat <sup>g)</sup>).

### §. IV.

Quando autem rei principalis excussio creditori adeo grauis existimari possit, ut beneficium fideiussori ideo recte negetur, ex iis, quae hactenus de Nouellae IV. ratione disputauimus, facile perspicitur. Scilicet, cum hoc beneficium et summa aequitate nitatur et ipsi reipublicae utilissimum sit, sequitur, ut non leuis quaelibet et apparens credi-

e) L. 15. D. de fideiussor. Nov. IV. cap. 1.

f) v. Antonii FABRI Cod. Definis. forens. Lib. VIII. tit. 24. defn. 3.

g) Euolui hic merentur laud. CANZII diss. §. VI. - VIII. et 10. LVD. SCHMIDII V.C. praestantissima de fideiussore principaliter obligato commentatio, Ien. 1768. edita, Sect. I. §. 4. sqq. qui omnia, quae a nobis hactenus proposita sunt, docte et eleganter exposuere, quorum hac in re industriam, otium nobis fecisse, lubenter profiteamur.





creditoris molestia ad illud excludendum sufficiat, sed grauis requiratur, quae cum illa, qua fideiussor primario conuentus adficitur, aliquo modo comparari possit. Quodsi enim, ob quoduis minoris momenti incommodum, quo debitoris excussio creditorem onerare potest, ordinis beneficium fideiussoribus negandum esset, hi nunquam forte, certe rarissime, eo vti possent, eiusque introducti ratio prorsus eluderetur. Nec itaque in diiudicanda difficultate debitorem conueniendi, ad id respiciendum est, an forte creditor ab intercessore facilius, quam ab ipso reo principali, suum consequi queat, verum hoc solum spectare oportet, an debitor in vniuersum difficulter conueniri possit, sine respectu ad exceptionem, qua forte ex alia plane causa, v. c. ob compensationem tutus est fideiussor<sup>h)</sup>). Hoc autem euenit, si eiusmodi impedimentum debitoris excussioni obstat, quod non cum omnis debiti exactiōe plerumque coniunctum esse solet, sed quod quodammodo extraordinarium est<sup>i)</sup>, nec vni saltem vel alteri creditori, nimium suis commodis seruienti, forte oneri fit, sed quod et aliis graue videretur eosque insigni detrimento adficeret. Verbo, quoties creditori ex rei principalis excussione tale damnum oritur, cuius potissimum euitandi causa fideiussoribus sibi prospexisse, probabili ratione existimari potest, toties, illo omisso, recte contra hos agit.

#### §. V.

Ita fere in vniuersum, si rei naturam spectes, causas comparatas esse oportet, ob quas fideiussor beneficio suo priuari possit. Nec aliud voluit IUSTINIANVS, dum creditori potestatem concessit, absente principali reo, inter-

cesso-

h) v. SCHMIDII *Comment. laud.* Sect. II. c. II. §. 118.

i) CANZIVS l. c. §. X.



cessorem primo loco adeundi. Etsi enim primo intuitu imperatori mens fuisse videtur, ut ob quamvis debitoris absentiam hoc ita seruetur; tamen, si orationis seriem perpendas et cum ipsius constitutionis ratione conferas, facile intelligitur, utramque amicissime conspirare, eamque demum absentiam, <sup>k)</sup> quae difficilem reddat debitoris conventionem, iustam causam esse, sponsoni beneficium negandi<sup>l)</sup>. Ipse IVSTINIANVS, dum fideiussori pro iudicis arbitrio temporis spatium concedi iubet, intra quod absentem debitorem conquirat, aperte significat, fideiussores non nisi grauissima de causa et omnibus, quae ipsos a soluendi necessitate eximere possint, incassum tentatis, beneficio suo priuandos esse.

#### §. VI.

Hisce praemissis pergimus ad ipsam quaestionem, cui decidendae ea omnia praelusimus: an nempe hodie, reo principali, solutionis tempore, a loco sui domicilii vel contractus, in alius iudicis, eidem tamen principi subiecti territorio absente, fideiussor praefens, nulla alia causa accedente, ob hanc solum debitoris absentiam primario conueniri possit? Ponimus debitorem solutionis tempore abesse, ideoque absentiam postea superuenientem requirimus. Quod si enim iam contractus initi tempore absens fuerit, dubium  
non

k) Nihil hic referre, ex qua causa debitor absit, nec itaque tritas absentiae diuisiones, in laudabilem atque vituperabilem, necessariam et voluntariam, ad hanc quaestionem pertinere, probauit CANZIVS l. c. §. XVII.

l) Hinc Anton. HERINGIVS in *Tr. de fideiuss.* Cap. XXVII. Part. I. n. 262. Bened. CARPZOVIVS *Definit. forens.* Part. II. Conf. XVII. def. VI. debitorem in longinquis regionibus abesse volunt, ut sine magno negotio et difficultate conueniri nequeat; licet nostram quaestionem proprie non tetigerint.

non est, quin intercessor ordinis beneficio omnino gaudeat. Nam cum creditor hoc impedimentum principalis rei excus-  
 sioni obstans haud ignorauerit; eo, quod intercessorem ac-  
 cedente beneficii renuntiatione, sibi arctius obstringi non  
 curauit, illud perferre consensit. Sibi itaque imputet, si  
 id fortasse nimis graue videatur, quod legem contractus  
 non dixerit clariorem. Fideiussori sane hoc fraudi esse ne-  
 quit, cum quidquid adstringendae obligationis est, id,  
 nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum sit<sup>m</sup>).  
 Euincunt hoc praeterea verba *Nou. IV. cap. 1. principalem vero*  
*absesse contigerit*, (et graece: τὸν δὲ πρῶτότυπον ἀπείναντα  
 συμβαίνῃ) quae satis indicant de absentia superueniente ser-  
 monem esse. At, si debitor, quum contractus celebrare-  
 tur, praesens adimplendae obligationis tempore alii iuris-  
 dictioni subit, num fideiussor beneficio suo ideo priuandus  
 erit? Videtur sane non ita esse. Etenim ordinarie non  
 maiori cum molestia coram extraneo iudice litigatur, quam  
 coram communi. Est omnium, quae vnus principis  
 imperio subsunt, iudiciorum ex regula eadem constitutio,  
 in omnibus ex iisdem legibus, eodem modo ius dicitur.  
 Nec est, cur in rei magis, quam in fideiussoris iudicem  
 morositatis, malae fidei, aliorumue vitiorum, quae agenti-  
 bus in iudiciis graua sunt, suspicio cadat. Itaque non vi-  
 deo, qua ratione rei principalis in alius iudicis territorio ab-  
 sentia sola adeo difficilis censeriqueat, vt damnum creditori  
 ex illius conuentione oriens, aequitatem vincat, quae fide-  
 iussores in vltimum subsidium seruari iubet. Possunt qui-  
 dem varia contingere, quae sub alio iudice commorantis  
 rei excussionem difficillimam reddant. At, cum haec ad-  
 uentitia sint, nos, iam de regula solliciti, iis non immora-  
 mur,

B 2

m) Sunt verba *CELSI* in *L. 99. pr. D. de V. O.*



mur, ad argumenta potius properantes, quae huic nostrae decisioni opponi animaduertimus.

### §. VII.

Sunt nempe plures, in iisque imprimis BERLICHIVS<sup>n)</sup>, SOMMERVS,<sup>o)</sup> et qui primo loco mihi nominandus erat, V. C. SCHMIDIUS<sup>p)</sup>, qui, licet eadem, quae nos secuti sumus, principia communia probent, in ipsa tamen propofita quaestione decidenda, ob *L. ult. C. de praescri. longi temp.* prorsus a nobis dissentiunt. Scilicet cum in hac lege is absens habeatur, qui nobis cum non in eadem provincia domicilium habet, hoc vero, ex communi omnium fere iuris interpretum iudicio, de iis hodie accipiendum sit, qui non eidem iudici vel domicilii vel rei sitae subfunt; plenissime constare arbitrantur, excussionis quoque beneficium ob talem debitoris absentiam fideiussori negandum esse. Habet profecto haec opinio et ipsa aliquam veritatis speciem, et, quae saepe maior adhuc commendatio est, magni nominis iureconsultorum suffragiis comprobatur,<sup>q)</sup> vt ideo mirum non sit, eam multos inuenisse defensores. Sed, si curatius inquiras, duobus vitis laborare ea videtur, quae singula, age, nunc detegamus!

### §. VIII.

Primum quidem in vniuersum merito dubitari potest, an haec lex, quae de absentia, ob quam praescriptionis tempus

n) *Matth. BERLICHII Concl. Praet. Part. II. Concl. 24. n. 19.*

o) *Reinb. SOMMERI diff. alleg. Cap. II. §. 1.*

p) *Io. Lud. SCHMIDI Comment. saepe laud. Sect. II. cap. II. §. 127.*

q) BERGERVS in *Oecon. iur. Lib. II. tit. II. th. 24. n. 2. Sam. STRYCKIUS in Vsu mod. Pand. Lib. XI. tit. III. §. 7. et plures ibi excitati.*

pus duplicatur, praecipit, aliis quoque de absentia quaestionibus dissoluendis recte adhibeatur? Est, uti iam ab initio diximus, absentiae notio varia et ex cuiusvis negotii, in quo de illa quaeritur, indole aestimanda<sup>r)</sup>. Sic, ut exemplis utamur, in stipulationibus absentes ii habentur, qui tanto intervallo distant, ut se inuicem loquentes non exaudiant<sup>s)</sup>, in praescriptionibus illi, qui non in eadem prouincia domicilium habent<sup>t)</sup>, in aliis denique speciebus alia est absentiae vocis significatio<sup>u)</sup>. Haec varietas cum ex ipsorum negotiorum diuersitate oriatur et pendeat nulla potest ratione tolli. Ex quibus hoc efficitur atque cogitur, non posse eum, quem respectu vnus negotii leges statuunt, absentiae modum in altero adhiberi, nisi vtriusque eadem omnino sit ratio. Iam vero quomodo nostra quaestio cum ea, quae in saepius allegata lege proponitur, cohaereat, difficile est intellectu. Licet enim praescriptionis tempus ideo ob absentiam duplicari videatur, quia molestum est, iura sua contra absentem persequi; eadem quoque absentem debitorem postulandi difficultas causa sit, cur fideiussori ordinis beneficium negetur; non tamen ex his, etiamsi, quod iam non inquirimus, recte se habeant, aliqua rationis paritas exculpi potest. Cum enim, ut alia taceamus, usucapionis tempus in eorum commodum duplicetur, quibus iura sua lapsu temporis perent, ideoque hic *de iure domini*, ob suam aut possidentis absentiam agere commode non valentis, *conseruando*, contra ea in nostra quaestione *de aequissimo legis beneficio*, ob debi-

B 3

toris

r) BRECHAEVS ad L. 13. D. de V. S. GIPHANIUS ad L. 8. C. quomodo et quando iudex etc.

s) L. 1. de V. O.

t) d. L. ult. C. de praescr. longi temp.

u) V. omnino GOEDDAEVS ad L. 173. et L. 109. D. de V. S. et CVIACIUS Lib. VII, Obs. 34.

toris absentiam, *fideiussori negando* agatur, satis, ut opinor, utriusque speciei diuersitas et incongrua legis, quam saepius appello, ad nostram causam adplicatio perspicua est.

§. IX.

Alterum illius opinionis vitium later in eo, quod, quae leges Romanae de provinciis intelligunt, ad nostram iudicum territoria trahantur. Decantatum est, omnes leges, quae statum veteris Romani imperii publicum concernunt et ad propria Romanorum instituta spectant, semper inepte ad nostram Germaniam nostrosque mores adcommodari, ob faciem et constitutionem utriusque imperii insigniter discrepantem. Quare cum nullum institutum Germania norit, quod illi Constantinae Romani orbis in praefecturas praetorio, dioeceses atque provincias descriptioni aliqua saltem similitudine respondeat, non est dubitandum, quin *L. ult. C. de praesfr. longi temp.* nullum omnino usum hodie habere possit, multo autem minus eum, quem a Ictis quibusdam haud ignobilibus illi tribui diximus. Probat hoc vel sola Romanarum provinciarum veterum nostrorumque iudicum territoriorum ambitus magnitudinisque diuersitas et, quae hinc necessario oritur, maior minorque in alia provincia sub aliaue iurisdictione absentem conueniendi difficultas, a qua tamen sola omnis pendet quaestionis nostrae definitio. Videtur autem istius opinionis auctores hoc in errorem induxisse, quod veterum provinciarum rectores inferiores iudices fuisse inuenirent, a quorum sententiis superior appellari potuerit, idemque hoc et in iis obtinere deprehenderent, qui nobis hodie inferiorum iudicum appellatione veniunt. Sed, quamquam haec verissima sunt, constat tamen, Romanos praesides et iudices nostros non ita inter se comparari

rari posse, vt, quod de illis dictum est, ad hos recte adplicetur. Vnum enim fortassis hoc est, in quo conueniunt, quod nec hi, nec illi vice sacra iudicent, (quae est inferioris iudicis notio,) in ceteris omnibus valde dissimiles. Longum foret et a consilio nostro alienum, omnes enarrare, quae inter clarissimos prouinciarum rectores, nostrosque hodie inferiores iudices intercedunt, differentias<sup>x)</sup>, foret et superuacuum, cum nemo, vel maxime tenui Romanarum rerum Germaniaeque conditionis cognitione imbutus, insigne delictum ignorare possit.

f. X.

Satis nunc ostendisse arbitramur, argumentum ex *L. est. C. de praeser. longi temp.* nobis oppositum, non esse tanti ponderis, vt in aliam, quam ipsa legis ratio tueri iubet, opinionem nos trahere possit. Stat itaque nostra sententia, non esse hodie debitoris sub alia iurisdictione absentiam in se spectatam iustam causam, priuandi fideiussorem excussionis beneficio. Restat, vt quis modus absentiae in proposita quaestione nobis videatur habendus esse, breuiter exponamus. Est scilicet specierum, quae obuenire possunt, tanta varietas, et euentuum, qui modo magis, modo minus molestam reddunt debitoris absentis excussionem tanta copia, vt nulla ratione certo definiri possit, quando beneficium fideiussori negandum, quando permittendum sit, sed plurimum hac in re ad iudicis arbitrium redeat,<sup>y)</sup> qui de singulis speciebus ex legis ratione iudicet. Quodsi tamen haec iudicis potestas angustioribus terminis circumscribenda videat-

x) Multa huc pertinentia passim occurrunt apud GUTHERIVM de offic. dom. aug. CAMPANVM de offic. et pot. magistr. atque in Philippi BERTERII *Purbonian* Diatriba I. in *Th. Otton. T. IV.*  
 y) SCHMIDIVS l. c. Sect. II. Cap. II. §. 115.



videatur; rectius forte adfirmari posset, eo, quod reus in alius principis territorium secesserit, fideiussorem beneficio suo hodie priuari, <sup>2)</sup> non quidem ob *L. ult. C. de praeser. longi temp.* et quod principum imperii ditiones cum Romanorum prouinciis comparari posse existimemus, (abhorret enim ab omni eiusmodi comparatione animus,) sed quoniam singulorum territoriorum constitutio solet esse diuersissima. Cum enim quoduis fere peculiaribus suis legibus regatur, iudiciorum habendorum ratio vbiuis fere sit alia, ad ipsa denique suprema tribunalia aditus saepissime peregrinis difficilior sit, quam indigenis, ipsaque locorum distantia accedat, certo adfirmare ausim, hominis alii principi parentis excusationem nunquam fere non cum graui molestia esse coniunctam.

Ita vero subitariam hancee opellam pertexuimus, in qua diiudicanda aequos harum rerum iudices nec aetatis, nec consilii nostri immemores fore, speramus atque confidimus.

<sup>2)</sup> Inuenio hoc quarundam prouinciarum legibus expresse sanciri, v. c. im Erneueren Cbur Pfaelz. Landrecht Part. II. tit. 15. in der Grafenschaft Solms Gerichts- und Landsordnung Part. II. tit. 16. §. 1.





ULB Halle 3  
003 935 957  


*Sb.*





Pri. Num. 28

1773, 49

AN ABSENTIA DEBITORIS  
 PRINCIPALIS SVB ALIENA  
 IVRISDICTIONE COMMORANTIS,  
 SIT HODIE IVSTA CAVSSA FIDEIVSOREM  
 ORDINIS BENEFICIO PRIVANDI?

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
 PRAESIDE

D. AVGVSTO FRIDERICO SCHOTT  
 ANTIQVIT. IVR. PROF. PVBL. ET COLLEG.  
 MINOR. PRINC. SODALI

DIE XXX IVNII MDCCCLXXIII

H. L. Q. C.

ANQVIRET  
 AVCTOR

IOANNES CHRISTOPHORVS GVILIELMVS  
 T O N K O

D R E S D.

LIP S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

